quod summopere illæ necessariæ sint Principi, omninò probandum vel damnandum potius Ludovici XI. Gallorum Regis, est consilium: qui filium suum Carolum ita institui volebat, ut literas nesciret, modò tria verba teneret, Latina illa quidem sed ejusmodi, quæ de historiâ jure detracta, et alienis consiliis potius, quam suis sapere atque res gerere consuesceret. ANDIO illo SINE BONO teste. Nolebat scil. Rex sordidissimus filium in consiliis capiendis refractiorem esse, suique sensus tenaciorem. Et hoc quidem, sed satis infeliciter Carolus assecutus est. Illum namque jam Regem duo tresve homunculi, iique ex imâ fece plebis, huc illuc pro lubitu cum magna subditorum indignatione et damno circumagere poterant. O miseram! quæque indies ultrà miseriorem hominis sortem. Sed quid ego heic exclamo: quum admodum dignum hoc patellâ suâ operculum esset? Nec melioris fri. secte Ferdinandus Conzaga erat. Huic siquidem perpetuo in ore fovis ista, „Alphonsi judicio, non hominis vox versabatur: non debere Principem literatum esse. Eadem ferè vox Marij olim fuit, non placere sibi, inquientis, literas, ex inutilem eam esse scientiam: quæ ad virtutem doctoribus nihil prodesset. Non abludebat Agrippina Neronis Mater. Illa quippe filium autore Suetonio, â Philosophiâ arcebat, monens, imperaturo contrariam esse. O virum, O foeminam, homines alios quoque improbos! Cuidaetis! inutilem esse literarum scientiam, contrariam Imperaturo esse Philosophiam? Toto, quod dicitur, coelo erratis. Tu verò heus Mari, præsentissima Patriæ, postquam hostium fueras, pestis! Annon Tibi, Tibi isto, plurimu ad virtutem, literas didicisse profuisset? Si enim vel pa-